

rectæ CH, CI, CK, CX, ab eodem puncto C. æquales, quare punctum illud erit centrum circuli per 9. II. linea autem per puncta reflexionis ducta peripheria ex def. 15. I. quod erat demonstrandum. Ex his sine ulla difficultate intelligi potest, quare Sole in Horizonte constituto, si idem fuerit in eadem recta cum centro Iridis & oculo, semicirculus exactè, quo verò ille altior eo segmentum minus appareat: Ibi enim quia Sol, oculus, & centrum iridis sunt in eadem linea ideoq; omnia supra Horizontem, hīc verò propter eandem causam centrum sub Horizonte, igitur & subtensa semicirculi, & utrinq; partes æquales, oculus autem propter tumorem terræ sub horizonte latentia non apprehendit: patet etiam si Sol in Horizonte & oculus in turri vel alio loco editiore fuerit, majus segmentum semicirculo Iridis apparere posse.

SECTIO QUINTA CONTINENS AXIOMATA QUÆDAM DE IRIDE.

I. *Iris ante diluvium visibatur*; posita namq; causa efficiente poni effectum oportet. Nec obstat quod Gen. 9. legatur: arcum meum ponam in nubibus, & recordabor fœderis mei vobis, cum: male enim subsumitur à dicto secundum quid ad dictum simpliciter: positus est arcus non simpliciter sed in signum fœderis, quemadmodum autem mala foret conclusio si diceretur tunc demum lapis factus, positus in limitem cum fuerit: sic male consequitur: Iris posita est in signum fœderis ergo demum cœpit.

II. *Iridis species etiam noctu fieri potest*. Non enim Radij Solis qua Solis sed qua corporis luminosi efficiunt arcum istum: at noctu etiam ponitur Efficiens eadem, nempe Radij Lunæ.

III. Nobis in Climate Sexto degentibus nunquam ad meridiem (quod commune cum omnibus in Zona tem̄ erata versantibus, in parte polum boreum versus, habemus) Antœcis & antipodiibus nostris nunquam ad Boream, Perisciis intra 24 horarum spatium ad omnes mundi plagas, Amphisciis item sed non intra diurnum verum